

Zu der
ö f f e n t l i c h e n P r ü f u n g
d e r S c h ü l e r

des

Gymnasiums zu St. Maria Magdalena,

welche

am 24^{sten} und 25^{sten} März im grossen Hörsaale veranstaltet werden soll,

so wie

zu der **Redeübung** am 26^{sten} März

ladet ehrerbietigst ein



Dr. Carl Schönborn,

Director, Rector und Professor.

-
- I. Abhandlung des Prorector Dr. Klossmann: *Observationes de vi
atque usu temporum sermonis Hebraici.*
- II. Schulnachrichten, verfasst vom Rector.

Breslau 1836.

Gedruckt bei Grass, Barth und Comp.

BRES
1 (1836)

Nr. 407

Österreichischer Provinzial-Verordnungs-Rath

in Wien

Erlassung der Verordnung über die

Verordnung

über die Verordnungen über die

Verordnung

über die Verordnungen über die

Verordnung

über die Verordnungen über die

Verordnung

über die Verordnungen über die

Verordnung

Verordnung

Verordnung

über die Verordnungen über die

OBSERVATIONES

DE

VI ATQUE USU TEMPORUM SERMONIS HEBRAICI.

SCRIPSIT

D^r I. FRID. KLOSSMANN.

RESERVATIONS

VI QUONIAM EST TEMPORUM SERVICIUM HIERARCHIA

W. E. WOOD. NEW YORK.

Grammaticae hebraicae eam partem, quae est de vi atque usu temporum, investigare et ad praecepta artis referre, iam eam ob rem operae videtur esse pretium, quod hebraici sermonis consuetudo a sermone nostro, latino, graeco, non modo singulis in partibus sed universo genere differt. Nam primum ab Hebraeis tria tantum temporum genera, quae a grammaticis Perfectum, Futurum et Participium appellantur, sunt observata ac notata, neque in iis Praesenti tempori locus est datus; quae res cum ad simplicitatem quandam hebraici sermonis possit referri, illud tamen haud dubie mirum videtur, horum temporum vim parum esse definitam, neque sibi ipsi constare. Nam hebraicum Perfectum nostro sermone interpretatur Perfecto, Praesenti, saepe etiam Futuro; Futurum ipsum et Participium ab Hebraeis communiter ad res referuntur, quae nobis forma Praesentis, Perfecti, Futuri sunt distinguenda. Neque vero hoc in genere certam quandam rationem videntur secuti esse scriptores, maxime poetae, qui saepe eiusdem rei partes, formis temporum, ut videtur, ad arbitrium fere commutatis, exposuerint. Quae res si ita se habet, perspicuitati et subtilitati sermonis, quae in illa parte grammaticae gravissima sane est habenda, Hebraei haud videntur studuisse. Verum quis est, qui, cum cognoverit, hebraici sermonis rationem a nostro sermone plane abhorreere, firmis argumentis effici posse concludat, apud Hebraeos vim temporum non esse distinctam, neque usum eorum fuisse constantem? Quam ob rem ad id, quod quaerimus, recte explicandum, illud primum praecipendum videtur, ne vim et naturam sermonis hebraici ad praecepta nostri sermonis vel latini accommodemus, sed ut, singulis rebus perpensis et inter se comparatis, scientia comprehendamus rationem illam universam, quam Hebraei ipsi sibi mente informaverint. Quam cognoscere et explanare maxime certe interest non solum eorum, quibus accurata codicis sacri interpretatio curae est, sed etiam omnium eorum, qui naturam linguarum subtiliter pervestigare et scientia atque arte concludere, dignam existimant rem, in qua cura et diligentia doctorum hominum collocetur. Atque elabo-

rarunt in hac parte viri clarissimi, gravissimique et intelligendi et dicendi auctores, Gesenius, Ewald, Freytag, qui summam diligentiam ad res observandas, et eximiam subtilitatem ad praecepta condenda attulerunt. Sed, quoniam in omni litterarum ac studiorum genere fieri solet, ut etiam post acerrimos hominum doctissimorum labores relinquuntur quaedam, quae aut alia ratione atque via aut uberius et accuratius possunt explicari atque confirmari, equidem non puto, me, si de vi atque usu temporum sermonis hebraici singula quaedam a me collecta proferam, in temeritatis suspicionem esse venturum.

Sed primum videamus de universa vi atque natura horum temporum. Quó in genere quoniam gravissimum est, propriam Hebraeorum consuetudinem accurate definire atque distinguere, equidem ad eam percipiendam existimo, optime posse viam muniri hebraica et latina consuetudine inter se comparata. Atque Latini Praesenti, Perfecto, Futuro, quae tempora sola sunt comparanda cum hebraicis, rationem declarant, qua res quaedam ad illud tempus sit referenda, *quo* quis loquitur. Ita qui dicit: lego librum, is significat, actionem legendi in idem tempus incidere, quo ipse de ea loquitur; e verbis: ego legi librum, intelligimus, rem esse eo tempore, quo quis loquitur, absolutam; Futuro significatur res, quae eo tempore, quo quis loquitur, nondum adest. Sed Hebraei non ita; qui, quae *in re ipsa*, de qua loquuntur, insit temporis *ratio*, spectant, id primum quaerentes, utrum omnino de *vera* re sermo sit, quae certo suo tempore definita est, eoque adest, an de re, quae aut omnino in cogitatione posita est, aut, si certa est, animo refertur ad tempora singula, quae incerta sunt et in cogitatione posita. Atque, ut exemplis utamur, ex illo genere est: hic vir iustus, ὁ δίκαιος ἀνὴρ; quem virum revera adesse significamus pronomine vel articulo adiecto, et quem sermone nostro, ut consilium fert, vel hoc tempore, vel praeterito, vel per omnem eius vitam agentem spectare possumus. Eiusdem generis sunt verba: iusti, οἱ δίκαιοι, sive de singulis certis hominibus, sive de universo genere sermo est. Ad alteram rationem pertinet, si dicimus: iustus aliquis, δίκαιος, si quis iustus, vel: iusti, δίκαιοι, vel: ὁ ἀνὴρ δίκαιος, quem iuste agentem ad tempora animo referimus, quae incerta sunt et in cogitatione posita, i. e. vir ille, si quando iustus est. Atque formis verbi nihil aliud distinguunt Hebraei, nisi rationem logicam, qua explanatur, utrum praedicatum ad veram rem et certum eius tempus *revera* pertineat, et *cum* ea adsit, an omnino ad rem cogitatum, aut ad certae rei singula tempora, quae incerta sunt et in cogitatione posita, pertinere *cogitetur*. Denique altera ratio est *analytica*, qua sive universae sive singulae rei partes eae explicantur, quae in re ipsa *insunt* et cum ea *adsunt*, et quibus *propria rei vis ac natura efficitur et distinguitur*; altera ratio est *synthetica*, qua eae

partes explicantur, quae vi rei ipsius *effici possunt*, itaque eam *sequuntur*, eamque ob rem singulis tantum temporibus incertis existunt, id est, si rerum condicio quaedam fert, ut vis illa possit exprimi. Altera ratione exponitur, quod revera adest; altera, quod fieri potest; altera significatur id, quod *inhaeret* in re, ut grammatici dicunt, altera id, quod ex re *pendet*. Iam, ut exemplis illustremus rem, ex genere analytico sunt: pii (id est, universum genus piorum) colunt Deum. Quam agendi rationem in piis omnino inesse et eorum propriam esse *necessario* mente informamus, ita ut, ea commutata, vis et nomen totius rei tollatur; nam propterea, quod colunt Deum, pii habentur, et ab aliis distinguuntur hominibus. Ad idem genus pertinet, si dicimus: Hic vir iustus (nunc, hoc tempore) colit deum, vel: olim coluit Deum; qua sententia significamus, rationem illam agendi, usu certo cognitam a nobis, *in homine nunc* revera esse, vel olim fuisse. Ex genere synthetico sunt: Venustas *delectat* hominum animos. Videmus, venustatem non adferri delectatione, sed venustatem causam esse delectationis, i. e. vis exponitur, qua effici potest, ut homines, *si* quando rei venustae aspectu fruuntur, commoveantur; sequitur igitur delectatio venustatem, vel pendet ex ea, neque semper cum venustate adest, sed iis temporibus, quibus, rerum quadam condicione ferente, venustati locus datur animos hominum movendi. Ex eodem genere sunt: Haec res, si quando venusta est, vel erat, delectat vel delectavit hominum animos. Nam venustatem quoniam dicimus in re inesse temporibus, quae in *cogitatione* posita sunt, efficitur, ut, quod ei tribuimus, his temporibus adferri *cogitetur*. — Sed hisce in universum expositis facile de usu temporum Hebraicorum iudicari potest. Nam si de *vera* re sermo est, sive universa, sive singula, suo tempore definita et distincta, Hebraei *Perfecto* utuntur, id declarantes, praedicatum aut omnino, aut tempore illo, de quo sermo est, *revera* ad subiectum pertinere et cum eo adesse. Verum tempus illud, quo aliquid revera adest, utrum ad illud spatium pertineat, quo quis loquitur, an ad superius, an de universo tempore sermo sit, vel ex ipso subiecto cognoscitur, velut, si dicimus: nostra aetas; hodiernus dies; antiqui homines; universum genus hominum; vel e certis vocabulis, quae temporis spatia significant, velut: nunc, hodie, olim, illis diebus, illo tempore. Sed certa quadam forma *verbi* non sunt usi ad distinguenda illa spatia temporum; neque sermonis ambiguitas adfertur. Nam primum, quod in vera re inesse et ad certum eius temporis spatium revera pertinere dicimus, id necessario etiam eodem tempore adesse cogitatur, quo ipsa res adest; deinde ratio illa logica, qua rem quandam ad subiectum certum revera pertinere dicimus, par est atque una, sive praeteritum sive praesens tempus spectas. Liceat hanc rem exemplis illustrare. Nos, si dicimus: Moses, dux Israelitarum, liberavit populum suum,

animum a nostro tempore, quo Mosen non agere scimus, avocantes de praeterito cogitamus tempore, quo Mosen revera egisse scimus. Itaque quod huic viro tribuitur proprium, animo etiam ad tempus praeteritum necessario referimus, neque aliud quicquam est distinguendum, nisi illud, utrum liberati populi laus revera sit ei tribuenda, nec ne. Illud Perfecto significatur ab Hebraeis. Et, qui senex factus dicit: ego in iuventute multa praeclare feci, ei, si modo ea forma verbi utitur, qua res ab eo gestas esse veras cognoscimus, ad ambiguitatem quandam sermonis tollendam non opus est alia forma quadam verbi, qua, qui audiant, intelligant, non esse sermonem de eo tempore, quo senex factus est. Et, qui dicit: ego capio hanc rem, is, si punctum temporis illud, quo res manu admota revera est capta, certo quodam vocabulo satis definit, Perfecto sermonis Hebraici declarat, rem eodem puncto temporis revera exstitisse et adesse. Postremo, qui dicit: pii (οἱ ὅσοι) servant praecepta Dei, is, quoniam non de singulis hominibus et temporibus, sed de universo genere hominum et de universo tempore loquitur, Perfecto rem et universam et veram esse significat. — Iam vero ex his intelligitur, in altero genere, quo praedicatum ad subiectum *cogitatione* refertur, neque res vera significatur, sed ea, quae fieri potest, versari Futurum hebraicum. Et quoniam certum temporis spatium, de quo quis loquitur, vel e subiecto, vel e certis vocabulis potest intelligi, non e forma verbi, mirum nemini videbitur, Futurum et ad res futuras, et praesentes, et praeteritas et ad universam rem sine ulla ambiguitate posse pertinere. Sic, qui dicit: venustas delectat hominum animos, Futuro significat, venustate fieri posse, ut delectentur animi; e verbis: haec res in posterum delectabit animos, intelligimus, delectationem hoc tempore non adesse, sed fieri posse; qui dicit: haec res olim delectabat hominum animos, is, si Futuro utitur, significat, in re olim fuisse vim, qua temporibus quibusdam, quae in cogitatione sunt posita, effici poterat, ut animi delectarentur; solebat delectare, potuit.

Sed hac differentia sermonis hebraici et latini exposita, aliud quoddam restat monendum. Latinorum proprium est Praesens *imperfectum*, velut: scribo, quo rem quandam adhuc *manere* significant, et Praesens *perfectum*, quo res *confecta* hoc tempore esse declaratur; deinde Imperfectum et Plusquamperfectum, quo rem praeteritam *manere* significant, dum altera geritur, vel confectam esse, cum altera exstitit. Atque Hebraei, quid sit discriminis inter res, quae adhuc manent et quae confectae sunt, bene norunt, et certis formis verborum distinxerunt. Sed eam viam sunt ingressi. — Nam, si de *vera* re sermo est, suo tempore circumscripta, primum spectant hanc rem, utrum tota ad id spatium pertineat, de quo sermo est, a superiori tempore segreganda, an pars eius rei pertineat ad superius. Iam rem, quae antea non erat, apertum est, eo tem-

pore, de quo sermo est, *existisse* vel factam esse. Deinde omnis res, quae existit, adest, et ad certum tempus adest, quo exacto ipsa est exacta et confecta, ita ut ab *insequenti* tempore sit segreganda. Itaque, quae est ratio rei, de qua quis loquitur, eadem est ratio partium, quae huic rei tribuuntur, ut facile possit cognosci, num res facta adhuc maneat, num sit confecta. Atque si sermo est de *praeterita* quadam re, cuius spatium et ab superiori tempore et ab *insequenti* secretum est, Hebraei Perfecto utentes declarant, rem illo tempore ortam per totum id spatium usque ad eius finem adfuisse, neque praesenti tempore adesse, quod ad praeteritum non pertinet. Si de *re praesenti* sermo est, Perfecto hebraico significatur res, non ea, quae superiori tempore orta, ad praesens hoc spatium ducitur, sed ea, quae hoc ipso spatio orta, adhuc adest. Sed fit, ut Praesens breviorve longiorve spatio circumscribatur, initio altius repetito, velut, si dicimus: hic annus, hoc saeculum, haec aetas, ita ut res quaedam praeteritae et praesentes uno spatio comprehendantur. Quod si est, Perfecto significatur res, quae a remoto initio orta usque ad hoc tempus permanet. Sed rem exemplis illustremus. Qui dicit: Israelitae, cum in Aegypto essent, vexati sunt, is de spatio temporis loquitur, quod et a superiori tempore, quo Israelitae in Aegypto non erant, et ab *insequenti* tempore, quo in Aegypto non erant, discernendum est. Iam Perfecto si utitur, dicit, vexationes eo tempore, quo in Aegyptum Israelitae venerunt, ortas per totum illud spatium usque ad id tempus, quo egressi sunt, locum habuisse. Qui dicit: ego hunc librum legi (praeterito quodam tempore, sive longius sit a praesenti tempore remotum, sive sit proximum), is declarat, existisse illo tempore lectionem, et, quoniam praeteritum tempus ad praesens non pertinet, exacto illo spatio confectam esse, neque adhuc se legere. Et verbis his: capio (nunc, hoc puncto temporis) librum, tempus praesens a superiori segregatur; Perfecto si utuntur Hebraei, declarant, actionem, manu ad librum admota, revera existisse, librumque adhuc capi. Manus vero si a libro removetur, actio illa ad praeteritum tempus pertinet, discernendum ab *insequenti* temporis puncto, quo manus non est admota, neque liber capitur. Postremo, qui dicit: fiduciam pono in Deo, utpote pius, is omnes vitae suae partes uno spatio comprehendens, id intelligi vult: ego fiduciam ab initio vitae meae quodam usque ad hoc tempus positam pono. Et ambiguitas sermonis nulla potest adferri, si ratio spatii accurate definita est oratione. — Haec est ratio Perfecti. — Sed fit, ut non *tota* res ad spatium illud pertineat, de quo sermo est, sed ut aut pars eius quaedam superiori tempore orta ad id spatium ducatur; aut, ut res, eo tempore, de quo sermo est, nondum adsit perfecta, sed *praeparetur*; quo in genere dicimus: id agitur, ut; *μὲλλει*; es ist im Werden. Quod si est, *Participio* utuntur Hebraei. Velut: angeli

venerunt ad Lotum; et Lotus sedebat in porta Sodomae. Non eo tempore Lotus sedem occupavit, quo angeli ad eum venerunt, sed sedem superiori tempore occupatam tenebat. Vel: aedifices navem (quae sunt verba Dei Noacho dicta, Genes. VI, 17.); nam ecce me in terram diluvium aquarum immittentem (immissurum); i. e., diluvium nunc nondum factum est, sed proximum est, *instat*; quam ob rem Deus Noachum navem iussit eo tempore aedificare.

Sed sententia nostra, quae sit universa vis ac natura temporum hebraici sermonis, exposita, ut fides ei adferatur, transeamus ad singula explicanda et exemplorum auctoritate confirmanda. Qua in re hac via utemur, ut rationes enuntiatorum absolutorum, ut dicitur, i. e. eorum, quae per se spectantur, neque ad alias sententias referuntur, et relativorum distinguamus. Iam vero in ipsis enuntiatis absolutis haec hebraici sermonis propria est consuetudo, ut, si praedicato aliud verbum adiungitur, ratio distinguatur, qua posterius verbum ad prius referatur, id est, utrum sit ratio *analytica*, qua posterior res priori subsit et eodem spatio temporis sit comprehendenda, an ratio *synthetica*, qua posterior res priorem insequatur, et temporis spatio sit discernenda, denique, utrum oratio *insistat*, an *procedat*. Itaque totam rem ita persequemur, ut, qui sit in enuntiatis absolutis usus Perfecti et Futuri absoluti et relativi exponamus, i. e. eius verbi, quod per se spectatum ad subiectum pertineat, et eius, quod ad prius verbum relatam cum eo ad subiectum pertineat.

D e P e r f e c t o .

I. De Perfecto absoluto.

- A. 1) Si de *universa* re sermo est, quam animo et cogitatione complectimur, et cuius partes mente informamus (i. e. de re abstracta, ut dicitur) Perfecto, cuius vim analyticam esse cognovimus, eae partes rei explicantur, quibus ipsa efficitur, et quibus propria vis ac natura eius continetur; quas si mutaveris, eae alio nomine erunt comprehendendae.

Psalm. XIII, 1. cf. LIII, 1. *Cogitat* אָמַר stultus (i. e. qui pietatis expertus est) non esse Deum; depravati sunt, foede agunt, ut nullus recte faciat. — Auctor Psalmi his verbis de universo genere stultorum dicit, quod omnes stultos omnium temporum complectitur. Et quod dicit, eos negare Deum, id revera in iis inest, eorumque ita proprium mente est informandum, ut eo commutato natura ipsa stultorum commutetur, quia in illa re, quod Deum esse negant, *ratio* nititur et *caussa*, cur stultorum sive impiorum nomine appellentur.

Proverb. XIV, 18: Possident hereditate נחליו stulti stultitiam, i. e. stultorum stulta agendi ratio propria est.

Proverb. XXI, 7: vastatio impiorum eos ipsos abripit, quia aequum facere nolunt במאנו. — Proverb. XII, 21: impii impleti sunt מלאו malo. —

Psalm. XXXVI, 4: Impius abstinet חרל a veritate et a probitate.

Psalm. LVIII, 4: impii deflectunt וירי ab utero; errant תעו ab alveo matris mendaces.

Proverb. XXI, 25: pigrum sua cupiditas occidit, quia nolunt eius manus operari. — Cf. Proverb. XXII, 13: Piger cogitat נמר: Leo est foris, in mediis plateis occidar, i. e. pigri, levissimas molestias defugientes, pericula fingunt, quae nulla sunt. Cf. XXVI, 13.

Proverb. XXVI, 15: piger (si) condit manum in paropside, taedet eum, נלאה, ad os eam admovere, i. e. pigri, ne molestiam subeant, esurire malunt, quam laborare.

Proverb. XVII, 5: Qui pauperem deridet, contumelia afficit חרף conditorem eius, i. e. impius est. Cf. XIV, 31.

Psalm. I, 1 describitur homo pius: Beatus ille, qui in impiorum consilio non versatur הלך, nec improborum viam insistit עמד, nec in sede derisorum sedet ישב.

Psalm. XL, 5: Beatus est ille (pius), qui collocat שים in Iova fiduciam, neque intuetur פנה in homines arrogantes et mendaces.

Psalm. XV. describitur is, qui sincere se gerit, aequum facit et verum ex animo loquitur ita: commate 3: is lingua sua non detrectat רגל, non adfert damnum עשה alteri; dedecus aliis non imponit נשא, e. 5: pecuniam fenori non dat נתן, nec donum adversus impios accipit לקח. Cf. Psalm. XXIV, 4. Ac verborum, quae Psalmo XV. Futuro sunt notata, ratio infra exponetur.

Proverb. VIII, 12: Ego sapientia habito שכנתי prudentiam, i. e. prudentia mihi propria est vindicanda, sum prudentissima. Cf. ib. c. 13: superbiam, arrogantiam, malos mores, os perversum odi; i. e. sum proba.

Cf. XIX, 11: Intelligentia hominis *retardat* iram, id est: qui sapiens est, lenta est ira; cognoscitur ex ea re sapiens.

Proverb. XIII, 1: filius sapiens patris disciplinam (audit), derisor correctionem non *audit*, שִׁמְעַע.

Proverb. XXII, 10: Qui alios benigne respicit, is fortunabitur, quia de pane suo *dat* נָתַן egeno.

Proverb. XXXI, 11 sqq. *strenuae* mulieris laudes exponuntur. Ac res, in quibus virtutes mulieris cernuntur, Perfectis sunt expositae. Sed ratio, cur in his commatibus Perfectis Futura adiungantur, infra explicabitur.

Jesai. XXXII, 8: *Nobilis* nobilia decernit, יַעֲיִן.

Proverb. XXII, 3: *Cautus* malum *videt* רָאָה, et abdit se; incauti *pergunt* et *poenas dant*: עָבְרוּ וְנִעְנְשׂוּ.

Proverb. XVI, 26: Animus *laborantis* sibi ipsi *laborat*, עֲמָלָה. Cf. XXVII, 16: qui *cohibere studet* (mulierem rixosam), is *cohibere studet* ventum.

Proverb. XXVI, 7: *Dependent* רָלִין crura a claudo; i. e. claudus pedibus uti non potest; ii sunt inutile pondus. De forma רָלִין videas, quae Gesenius in thesauro ling. hebr. protulit, explicans voc. רָלַל; qui vir doctissimus Rabbīnorum quorundam sententiam secutus verbum illud explicat רָלַל.

Psalm. LVIII, 9: abortus mulieris describitur; is lucem non *videt*. Cf. Job. III, 16. — Job. III, 17, 18: de mortuis, qui nihil agunt, nihil sentiunt, dicit Jobus: Impii *desinunt* saevire; *vincti requiescunt*, nec *audiunt* vocem praefectorum.

A. 2) Sed res universa, quam cogitatione complectimur, explicari etiam iis partibus potest, quas usu cognovimus. Quod si est, praedicato res significatur, quae, *a natura* subiecto insita et eius propria, ad universum eius tempus pertinet, ita ut omnino locum habeat.

Proverb. XII, 13: *Appetit* רָמָה malus praesidium malorum. Huius verbi ratio non eadem est, atque illorum, quae supra commemoravimus. Nam vis mali hominis mente non ita informatur, ut praesidium malorum

appetat. Sed usu cognitum est, hanc esse malis insitam naturam et rationem sentiendi et agendi, qua omnino utuntur; ex ea cognoscitur improbitas. Cf. XIV, 19: *Incurvant* se mali coram bonis; et XXVIII, 1: *fugiunt* mali, nullo persequente.

Proverb. XIII, 8: Pauper non *audit* שָׁמַע obiurgationem (invidentium hominum). Sententia loci est: divites ob opes suas saepius in discrimen vitae vocantur, non pauperes, qui extra invidiam et minas hominum positi sunt.

Proverb. XXII, 2: Dives et pauper sibi occurrunt: נִפְגְּשׁוּ, i. e. vivunt permixti.

Proverb. XVII, 7: Non *deceat* נִאֲוָה stultum grandiloquum labium. Cf. Ps. XXXIII, 1. XCIII, 5.

Proverb. XXI, 22: Sapiens scandit עָלָה urbem fortium, i. e. sapientia fortitudine validior est.

Proverb. XXVII, 25: *Prominet* נִגְלָה germen, conspicitur נִרְאָה herba, colliguntur נִאֲסָפוּ pabula montium. — Comma hoc pertinere videtur ad commendationem rei pecuariae a facilitate greges alendi petita, quia *sponte* nascitur germen, et ea certa eius natura est.

Proverb. XXX, 20: Haec est ratio meretricis: *Comedit* אָכְלָה et *tergit* מָחָתָה os suum, et *dicit*, אָמְרָה: non feci pravum.

B. 1) Si de *singulis* rebus sermo est, Perfecto utuntur Hebraei, *primum*, ut partes exponantur, quae *natura* insunt in illis rebus, earumque omnino propriae usu cognitae sunt. Pertinent ad hoc genus maxime verba intransitiva, quae Adiectivorum instar sunt.

Habacuc. I, 8: Equi eius (populi Chaldaeorum) *velociores* sunt קָלוּ pardis, *acriores* חָרִי lupis vespertinis; *gestiunt* פָּשׁוּ equites eius. — Hoc commate non dicitur: Equi eius populi certo quodam tempore veloces sunt facti, quasi antea non fuissent, aut nunc sunt facti, quasi antea non fuerint, sed omnino est ea virtus iis innata, quae etiam in posterum valet; *semper* sunt veloces.

Psalm. CIV, 1: Tu Iova *magnus es* גְּדֹלָתְךָ; gloria et maiestate (semper) circumdatus es, לְבִשְׂתָּךְ. Cf. XCVII, 9: Tu Iova toto orbe terrarum summus, deorum omnium supremus es גְּעֻלָּתְךָ.

Psalm. XCII, 6: Quam *magna sunt* גְּדֹלְךָ facta tua; quam profundae עֲמֻקּוֹ cogitationes tuae. Cf. Ps. CIV, 24: Quam multa sunt רַבּוֹ opera tua.

Psalm. CIII, 11: *Excellit* גָּבַר clementia Dei erga eos, qui eum reverentur. Cf. Psalm. CXVII, 2. Genes. XLIX, 26.

Genes. XXXII, 11: Ego *impar sum* קִטְנִיתִי tantis beneficiis et officiis, quibus tu me adfecisti.

Psalm. XLV, 3: Tu rex pulchrior es יְפִיפִיתִי omnibus hominibus.

Cant. Cantic. I, 10: Lepidae sunt גְּאוֹן genae tuae inter torques.

Proverb. XXX, 18: Tria quatuorve *mirabilia sunt* גִּפְלֵאוֹ. Cf. Psalm. XL, 6: Res admirabiles a te gestae maiores sunt עֲצֻמּוֹ, quam ut enarrari possint.

Psalm. XIX, 10: Iudicia Dei sunt vera, *iusta sunt* צְדִיקוֹ. Cf. XCIII, 5.

Proverb. XXVI, 16: Sapiens *est* הֶכֶם piger in suis oculis, i. e. videtur sibi esse.

Psalm. LI, 8: tu veritatem *amas* אָמַרְתָּ in praecordiis. Cf. Psalm. XL, 8.

Proverb. VI, 16: Sex res *aversatur* שִׁנְאָה Iova. Cf. Psalm. XXXI, 7. Deut. XII, 31.

Proverb. XIX, 7: Pauperem omnes fratres *oderunt*, שִׁנְאָהוּ, quanto magis *recedunt* רָחַקוּ ab eo sodales.

Proverb. XX, 9: Quis dicat: *purus sum* זָכִיתִי in animo, *insons sum* טָהֳרִיתִי a peccato.

Psalm. XLVII, 9: Imperium (semper) *habet* מְלִיךָ deus omnium gentium, (cf. Psalm. XCVI, 5; XCVII, 1; XCIX, 1.) Deus *sedet* יָשָׁב in solio sacro; cf. XCIII, 1; CIII, 19.

Psalm. XXXI, 20: Quam multa sunt bona, quae tu *recondis* (semper) iis, qui te verentur; quibus *adficis* eos, qui te confidunt.

Psalm. XXXIII, 13: E coelo *despectat* Deus, *videt* omnes homines; cf. Proverb. XXII, 12: Oculi Dei *servant* iustum.

B. 2) De singulis rebus, quae ad singula spatia temporis referuntur. Quo in genere cum non de universa natura sermo sit, in promptu est, praedicato eas partes significari, quae temporis certo suo spatio *extiterunt*, *ortae sunt*. Ac si de *praesenti* spatio sermo est, Perfecto declaratur res, quae eodem spatio orta adest, neque ad finem pervenit, quoniam spatium ipsum non est exactum. Sed quoniam praesens tempus saepe brevius longioreve spatio comprehenditur, initio altius repetito, in explicanda singulorum locorum sententia ad hanc rationem animus est attendendus. Quam ob rem primum illustremus res, quae eodem fere *puncto* temporis, quo quis loquitur, ortae adsunt adhuc.

a) Genes. III, 22: Ecce Adamus *est*, אָדָם, ut unus nostrum, i. e. nunc, postquam de fructu arboris comedit, ex insipiente *factus est* sapiens, tenetque adhuc eam sapientiam. Nihil enim accidit, quo sapientia in stultitiam rursus mutata sit.

Genes. VI, 7: *poenitet* me hominum; i. e. poenitentia, quae antea non erat, nunc, postquam homines depravati sunt, me cepit et in me adhuc *inest*; nam tempus nondum adest, quo homines malos mores exuerunt.

Genes. XIV, 22: Dixit Abram: Ego manum *tollo*; i. e. sublata est manus, qua testor.

Genes. XXII, 12: Ne laedas puerum; *nunc* enim (i. e. postquam Deus Abrahamum tentavit) *scio*, i. e. cognovi יָדַעְתִּי.

Psalm. VI, 10, auctor, qui angustiis circumventus Deum auxilium rogavit, postquam a Deo *liberatus est*, exclamat: *Exaudit* Deus. Cf. XXVIII, 6. — XX, 7. *nunc scio*, cognovi.

Psalm. XLVIII, 10: *Recordamur*, Iova, clementiam in medio tuo fano.

Jesai. VI, 5: Vae mihi, *perreo*, i. e. perniciis mihi nunc est adlata, quoniam Deum vidi.

b) De rebus, quae longiore spatio sunt comprehensae; i. e. de rebus, quae ab initio paulo remotiore ortae usque ad hoc tempus continuatae unius spatii sunt partes.

Psalm. II, 1. Quid *tumultuantur* רָגְזוּ gentes? Tumultus non eodem puncto temporis exortus est, quo auctor loquitur, sed ante hoc breve tempus, velut: ante hos dies, hoc mense, hoc anno, et adhuc manet.

Psalm. III, 2. Quam *multi sunt* רַבִּי (i. e. facti sunt multi, et adhuc sunt) ii, qui me infestant. Cf. XL, 13; LXIX, 5.

Psalm. LIV, 4: hostes *consurgunt* in me; i. e. haec res est facta, et adhuc adest. Cf. Ps. XXXVIII, quo condicio hominis describitur, qui propter delicta in mala incidit, com. 3, 6, 7, 8, 9 — 11. Cf. XXXV, 7.

Psalm. VI, 3: membra *perterrita* sunt; *lassus sum*, 8: oculus prae mœnore *contabescit, consenescit*. Cf. XXXI, 10, 11. 12. XXXIX, 11. XLIV, 26. LXIX, 4. — Psalm. XLII, 3: *Sitit* animus. Cf. LXIII, 2.

Iam si quis putet, ambiguitatem quandam esse his in locis, ita ut Perfecto Hebraeorum etiam res confecta possit significari, quae tempore, quo quis loquitur, non amplius adsit, is, si locorum illorum rationem accuratius perlustraverit, nullam esse inveniet. Nam, ut exemplo utar, si Psalm. III, 2. auctor significare voluisset, multos eos, qui eum odio persequerentur, eodem tempore quo Psalmum dixit, non adesse, neque eum persequi, cur com. 7. dixit: Age, Iova, defende me. Apertum est igitur, de rebus praeteritis esse sermonem, quae continuatae sunt usque ad tempus illud, quo auctor loquitur, i. e., de rebus, quae eiusdem spatii sunt partes.

c) De rebus, quae, a longissimo initio ortae usque ad hoc tempus continuatae, uno spatio comprehenduntur.

Psalm. XXXVII, 25: Iuvenis eram, nunc senex factus sum, neque *vidi* נִרְאִיתִי pium relictum; i. e. per totam aetatem usque ad hoc tempus non vidi, neque nunc video. Cf. Ps. IX, 11. Tu non *deseris* pios.

Psalm. XVI, 8: Iovam semper ante oculos *pono*, i. e. per totam vitam ita egi, et adhuc ita ago. Cf. XVIII, 22. XL, 9. LXXIII, 13.

Psalm. LXXI, 6: te *nixus sum* iam ab utero, i. e. et nunc nitor; cf. com. 17.

Psalm. VII, 2: te *confido*, i. e. semper confisus sum, et nunc confido. Cf. XVI, 1. XXV, 2, 20, 21. XXVIII, 7. XXXI, 7. XXXIII, 20, 21.

XL, 1. LXIII, 9. — Psalm. XXVI, 8: ego amo sedem tui fani. Cf. Ps. LII, 5. CXIX, 159. — L, 17: De malo: tu odisti disciplinam.

Psalm. LXXIV, 2: Memento montis illius Sionis, quem incolis, i. e. a certo quodam initio usque ad hoc tempus. Cf. Psalm. XVIII, 7: Per totum terram exit sonus. LXXXIV, 3: Etiam passer invenit ibi sedem. —

De praeterito tempore quoniam res extra dubitationem posita est, non opus est, ut exemplis illustretur. Nam, ut supra exposuimus, si Perfectum Hebraeorum ad spatium praeteritum refertur, quod in nulla parte superioris vel insequentis temporis positum est, significatur res, quae spatio eodem orta permanebat usque ad hoc spatium exactum. Qua in re accedit ad similitudinem Perfecti et Imperfecti latini.

II. Hisce expositis veniamus ad alteram partem quaestionis, et de *relativa* formationis agamus, i. e. de iis verbis, quae non per se spectantur, sed ad aliud verbum referuntur. Quo in genere fit, ut Perfectum et ad Futurum et ad Perfectum referatur. In utraque re ratio Perfecti est analytica, et oratio *insistit*, idque duplici modo, *primum*, si verbo posteriori prioris verbi partes exponuntur, quae in ipsa eius vi et natura insunt, ita ut prioris verbi vim non universam intelligendam esse significetur, sed certa eius quaedam ratio, *qualis* aut *quae* sit intelligenda, describatur. Qua de re nunc agemus, *primum*, quae vis sit Perfecti, quod Futuro adiungitur, exponentes.

A. 1) Genes. XII, 13: Dicas, te esse sororem meam, ut meae utilitati tua caussa consulatur (יִטַּב) et vivat נַפְשִׁי אַנְשָׁא מִיָּמִינִי anima mea. — *Utilitas* est res universa, cui plurimae partes sunt subiectae; *quaenam* earum hoc tempore esset, et *qualis*, Abrahamus ipse adiecto Perfecto explicavit; ita ut particula ך explicari possit: id est.

Cf. Deuteron. IV, 1, 23, 27. VI, 18, 30. VIII, 1.

Genes. XIX, 19. ne exitium me corripiat (fut.), et (id est) exanimet נַפְשִׁי. (Cf. Deut. VI, 15.)

Exod. IV, 15: ego tuae et eius orationi moderabor, et, (id est, sive ea quidem ratione) quid vos facere oporteat, docebo הוֹדִיעִתִּי.

Deut. XXVI, 16: hanc rem faciam. Quae sit ea res, explicatur his verbis: et visitabo (Perf.). Cf. Psalm. XXVII, 5, 6: Deus rem transiget; educet enim (Perf.) iustitiam tuam.

- Deut. VII, 4: si abducant peregrini filios, i. e. si *colant* (Perf.) alienos deos. Cf. VIII, 19. XI, 16.
- Deut. VII, 12. Si obtemperaveritis statutis et *servaveritis* (Perf.) et *feceritis* ea. Cf. Psalm. LV, 18: Deus meam vocem exaudiet, et (id est) vitam meam *tutabitur* (Perf.).
- Josu. I, 15: donec Iova iis quietem dabit, et (i. e.) terram *possidebunt* (Perf.).
- Psalm. XXXVII, 28: Iova non relinquet pios suos; in aeternum *servabuntur* (Perf.).
- Psalm. XLI, 4: Iova eum (qui egentium rationem habet), in lecto aegrotum recreabit; cubile (enim) eius laborantis *convertet* (Perf.). Cf. com. 6.
- Psalm. LV, 5: Cor mihi in pectore trepidat (fut.); leti terrores me *corripiunt* (Perf.).
- Jesai. I, 19: Si voletis, et *audietis* (Perf.); c. 20. si recusabitis, et contumaces *eritis* (Perf.).
- Jesai. II, 3: ex Sione lex, ex Hierosolymis disciplina proficiscetur. Ille gentibus ius *dicet* (Perf.) et multos populos *corriget* (Perf.).
- Jesai. V, 27: (externi populi a Iova evocati acerrimo studio rem agent;) nemo erit somniculosus, (id est) nemo, cuius aut laterum balteus *solvatur* (Perf.), aut calceamenti corrigia rumpatur.
- Jesai. VI, 12: (vastabuntur urbes, ut *nullus sit incola*) et *removebit* (Perf.) Iova homines. Cf. V, 6: vineam meam in tantam vastitatem redigam, ut neque putetur, neque pastinetur, *orienturque* (Perf.) in ea vepres ac spinac.
- Jesai. VIII, 7: adducturus est Iova vehementem atque abundantem aquam fluvii. (Qualis sit vehementia illa atque abundantia, his verbis describitur:) *Superabit* (Perf.) omnes alveos, et *supergradietur* (Perf.) omnes ripas. Cf. X, 17.
- Jesai. XI, 11: (Deus iterum manum admovebit ad comparandas sui populi reliquias,) *efferet* (Perf.) enim gentibus vexillum, quo *colligat* dissipatos.
- Jesai. XII, 2: tempore illo tu eris laetus; dices: Deus erat mihi saluti. (Qua in re versetur illa laetitia, exponit auctor his verbis:) laeti aquam *haurietis* (Perf.) ex fontibus salutis, et *dicetis* (Perf.): agite Iovae gratias.

Eadem plane ratione Perfectum, ut ad Futurum simplex ita ad fut. c. Vav convers. refertur. Cf. Genes. I, 27: et creavit (וַיִּבְרָא) Deus homines, i. e. ad sui imaginem creavit בָּרָא eos, marem et feminam. Genes. II, 10: et divisum est flumen (fut.); id est: *facta sunt* (Perf.) quattuor capita. Cf. Genes. VII, 9, 16, 19, 22. VIII, 19. XXVII, 16, 36. Exod. XXXIII, 4. Deut. IX, 23. X, 10. Josua II, 11. III, 16. V, 1, 12. VI, 20. IX, 26. X, 13. 1 Samuel. III, 18. VI, 12. —

- B. 2) Sed Perfecto, quod Futuro adiungitur, non solum universa res explicatur, *qualis* vel *quae* sit certo quodam tempore, sed etiam *singula* res, *quomodo facta sit*. Hoc quoque in genere ratio disserendi est *analytica*, oratioque *insistit*; nam *partes* enarrantur, quae ad rem certo quodam tempore pertinent, et eodem spatio temporis comprehensae cum ea exstiterunt et adsunt. Ac sermone latino hanc Perfecti rationem interpretari possis Participio, vel particulis: ita ut, hoc modo.

Genes. XIV, 16: Et reduxit וַיָּשֶׁב Abram omnem praedam, Lotum quoque, cognatum suum, *reducens*, הָשִׁיב. Abram, ubi reduxit praedam, ita eam reduxit, ut Lotus quoque, cognatus, non relinqueretur.

Genes. XV, 13: scito, posteros tuos futuros esse peregrinos in terra extraneorum, eorum servitatem atque iniurias annis quadringentis *perpessuros* (Perf.); i. e. dum posteri in terra extraneorum degent, ita degent, ut servitatem et iniurias perpetiantur.

Genes. XIX, 3: et instituit (fut.) convivium, panibus sine fermento *coctis* (Perf.).

Ib. com. 6: Lot ad eos egressus est (fut.), *claudens* (Perf.) post se ostium; cf. ib. com. 33: et filia concubuit cum patre, non *sentiente* (Perf.).

Genes. XXI, 24: Abraham se ad iusiurandum paratum esse dixit, *expostulans* (Perf.) cum illo de puteo aquae.

Genes. XXVI, 3: tibi adero et terram tibi dabo, *conservans* iusiurandum meum.

Exod. XIII, 20: Angelus Dei media inter Aegyptiaca et Israelitica castra intercessit, ita ut hinc nube illinc caligine interposita noctem illustraret; neque alter ad alterum *accederet* (Perf.). Cf. Exod. VII, 18. VIII, 17.

- Deut. VII, 1: Quum Iova vos introduxerit in terram, *pessumdans* (Perf.) tot gentes. Cf. ib. com. 14, 15.
- Deut. IX, 18: quadraginta dies et noctes iacui (fut.) ante Deum, nec cibo nec potione *usus* (Perf.). Deut. XI, 17.
- Josu. VIII, 17: evocati sunt omnes oppidani, et ex oppido ad eos persequendos *pellecti*, *nemine relicto*.
- Psalm. XXXVII, 11: Inopes terram possidebunt, multa *fruentes* pace.
- Ib. 36: quaesivi (fut.) eum, sed non *inveni* (Perf.), i. e. frustra eum quaesivi. Huius rei ratio omnino frequens est, ut, si de consilio irrita sermo sit, Futuro adiungatur Perfectum.
- Psalm. XLIII, 11: Nos hosti terga vertere coegisti (fut.), ab osoribus nostris *diripiendos* (Perf.).
- Ib. 13: Tuos sine ulla utilitate vendidisti (fut.), nihil ex eorum pretio *auctus* (Perf.).
- Psalm. XLIX, 9: tanti est animae cuiusque redemptio, ut *absistat* (Perf.).
- Ib. 11: sapientes morientur, stultique et fatui simul peribunt, alii opes suas *relinquentes*.
- Psalm. L, 3: veniet Deus, neque silebit; ignis ante eum vorabit, quum ipse *circumdatus est* (Perf.) tempestate.
- Psalm. LXIII, 10: Quo viso omnes homines Dei praedicabunt opus, factum eius rite *perpendentes*.
- Ib. 11: laetabuntur iusti in Jova, eo *confidentes*.
- Psalm. LXXI, 14: Ego perpetuo spem fovebo, *addens* ad tuas tot laudes.
- Psalm. LXXIII, 18: Tu impios in lubrico collocabis, *deiciens* eos in exitium.
- Jesai. II, 3: Erit mons altissimus, (qui dum altus est, is est rerum status:) ad quem *confluent* (Perf.) gentes omnes.
- Jesai. II, 17: Deastri prorsus peribunt: (quod dum est, hic est rerum status:) *Ingredientur* (Perf.) in rupium cavernas et in terrae voragines.
- Ib. IV, 3: sancti dicentur, ablatis sordibus et caedibus; c. 4: (quod dum est, id simul fit:) et *creabit* (Perf.) nubem interdiu fumantem.

- Ib. V, 2: Exstruxit (fut.) turrim in media vinea, et torcular quoque excidit (Perf.).
- Ib. V, 12: Vae iis qui — statim a diluculo vino incalescunt (fut.). Qui convivia citharis, nablis, tympanis, tibiis, vino *celebrantes* (Perf.) Iovae facta non spectant.
- Ib. V, 17: Sanctus Deus ob iustitiam coletur; tum *pascentur* (Perf.) agni arbitrato suo; i. e. dum Iova colitur ob iustitiam, ea est ratio, is status rerum, ut agni secure pascantur. — Cf. VI, 10. VII, 25. IX, 19. XI, 10.
- 3) Ex his intelligi potest, cur saepe Futuro, quod in protasi est *enuntiati hypothetici*, Perfectum adiungatur in apodosi. Quod si est, re posteriori ratio, qua prior fiat, explicatur; utraque res autem eodem spatio comprehensa simul exstitit atque adest.
- Psal. CXXVII, 1: Si Iova non aedificat (fut.) domum, nequicquam laborant (*יבנו*) qui eam aedificant; si Iova non tuetur (fut.) urbem, nequicquam *vigilat* custos; i. e. auxilii a Iova negati ratio ea est, in eoque cernitur, ut homines, dum auxilium Iovae non adsit, nequicquam laborent.
- Genes. XVIII, 26: Si in urbe Sodoma quinquaginta viros iustos invenero, eorum gratia toti loco *ignoscam* (Perf.); i. e. dum hic numerus virorum iustorum degit, ea ratione degit, ut iram meam et poenam non metuat.
- Genes. XXIV, 8: Quodsi mulier sequi noluerit, huius iurisiurandi religione *solutus eris* (Perf.). Cf. com. 41.
- Genes. XXVII, 12: Quodsi me pater attrectaverit, *videbor* ei illudere (Perf.).
- Ib. 40: et erit ut, si strenue egeris, eius iugum de tua cervice *excutias* (Perf.). Hac enim re cernitur strenua ratio agendi.
- Genes. XXVIII, 21: Si Deus mihi adfuerit, ita ut salvus in patriam redeam, *erit* mihi (Perf.) Iova Deus; i. e. cum illa re etiam altera adest.
- Deut. V, 22: si porro audiemus vocem Iovae, *moriemur* (Perf.); i. e. dum audimus, mors nobis paratur.
- Deut. VII, 4: et si populi peregrini filium abducent a me, ut alienos Deos colat, *exardescet* (Perf.) ira mea; i. e. illa res fiet cum pernicie vestra.

Ib. 12: Quodsi mea iura tenueritis et servaveritis et feceritis, Iova quoque *servabit* (Perf.) pactum suum.

Josu. II, 14: Si tu nihil enuntiaveris, fiet, ut si Deus nobis terram dederit, tibi gratiam referamus (Perf.).

Josu. VIII, 5: et, si fiat, ut hi egrediantur nobis obviam sicut prius, nos *fugiemus* (Perf.).

1 Samuel. I, 11: Iova, si — mei memor sobolem virilem mihi dederis, eam ego Iovae in omnem eius vitam *dedam* (Perf.).

Jesai. VIII, 21: Fietque, ut, si esuriverint, *effervescat* ira, (Perf.) et *male dicant* (Perf.) regi suo et domino.

Eadem est ratio Perfecti, si *Imperativum* sequitur. Quod si est, Perfecto ratio quaedam significatur, qua prior res agenda sit; quae cum posteriori simul existit atque adest.

Genes. I, 14: et *fiant* (fut.) lumina in coelo, ut discrimen faciant, et (hac ratione) *sint* יָיָ, signa, tempora, dies et anni.

Genes. XVII, 10: Omnes mares circumcidentur. Com. 11: exponitur, qua ratione id faciendum sit: *Circumcidatis* (Perf.) autem membri vestri praeputium.

Genes. XVIII, 4: aquam sumatis, pedesque *lavetis*.

Exod. XX, 9. Cf. Deut. V, 13: Sex dies *labores* (fut.) et, (id est, ea ratione) tua opera *peragas* (Perf.).

Exod. XIII, 8: et (i. e. dum festos dies azymorum celebratis) *indices* filio tuo.

Lev. I, 1: Loquaris et *dicas* (Perf.) i. e. loquaris his verbis.

Lev. I, 4: tu sacrificium offeras. Qua ratione id agendum sit, Perfectis exponitur. Cf. com. 11 sqq., 15 sqq.

Deut. XII, 15: Sacrifices, et *edas* (Perf.), i. e. edens.

Ib. 18: edas et *laeteris* (Perf.), i. e. laetus edas.

Jos. I, 8: hunc librum legis semper in ore habeas, et *cogites* (Perf.) dies noctesque.

Jos. X, 19: persequamini, et (ita ut) agmen *carpatis* (Perf.).

1 Samuel. IV, 9: sitis viri, ne serviatis Hebraeis, sicut vobis serviebant, et sitis viri, et (id est) *pugnetis* (Perf.).

B. Neque alia est ratio, qua Perfectum Perfecto adiungitur. Explicatur enim res, *qualis sit vel quae sit*, aut ratio, qua res illa *facta sit*.

Genes. II, 24: Vir adhaeret (Perf.) uxori suae, coalescentque (יָיָר) in unam carnem; i. e. adhaeret ea ratione, ut coalescant.

Genes. III, 5: oculi vestri aperti sunt, et (id est:) vos *estis* ut Dii.

Genes. IX, 13: arcum dedi, et *est* (sive: quod est) signum.

Genes. VI, 9: Noachus erat iustus et integer; (id est:) ex Dei voluntate se gerebat.

Genes. XVII, 6: Constitui ego te patrem multorum populorum, et *multipl-*
cavi te.

Genes. XXII, 16: Quoniam tu hoc fecisti, (id est:) non pepercisti filio tuo.
Cf. 12.

Genes. XXIV, 16: et puella erat virgo; virum non cognovit. Cf. 40: Iova salutem tibi praebet, et (i. e.) uxorem filio meo ducis.

Genes. XXVI, 10: paene rem habuit cum uxore unus ex populo meo, et *ad-*
duxisti noxam.

Exod. VII, 14: Animo obstinato est Pharaos; non *vult* populum meum dimittere.

Deut. VIII, 14: Cavetote, ne opibus aucti insolescat animo, et *oblivisca-*
mini Deum.

1 Samuel. II, 12: filii Eli erant mali: non cognoverunt Deum.

Psalm. X, 11: Deus vultum abdit; nunquam hoc adspicit.

Psalm. XXX, 4: eduxisti me ex inferis; animam revocasti ex funere.

Ib. 12: tu meum moerorem in chorum convertisti, meque exutum centone, *amicivisti* gaudio. Cf. XXXI, 8. XXXIII, 13. XXXIV, 5. XLIV, 8. XLVIII, 6. LI, 6. CV, 17. CVI, 6, 7, 13. — Jesai. I, 14: Novilunja sollemniaque vestra animo odi; mihi onerosa *sunt*; defessus *sum* ea ferendo. Cf. I, 31. VIII, 15. IX, 5. XI, 15, 16.

C. Sed fit etiam saepissime, ut Perfecto alicui apposito alia adiungantur, quae ad priora non sunt referenda, sed per se spectanda. Quod si est, omnia illa Perfecta ad *unam rem* pertinent, cuius partes omnes enumerantur. Qua in re probe tenendum est, Perfecta illa eodem tempore circumscripta, simul cum ipsa illa re, quae explicatur, exstitisse, neque cursum temporis significari, quo posterior res in locum prioris rei succedat. Itaque hoc quoque in genere est ratio *analytica*, oratioque *insistit*.

Psalm. I, 1: Beatus homo ille (pius), qui in impiorum consilio non *versatur*, nec improborum viam *insistit*, nec sede derisorum *sedet*: — Verbo hoc: *sedet*, non explicatur ratio prioris verbi: *insistit*, sed variae partes proferuntur, quibus omnibus vis ac natura hominis pii pari ratione continetur, et quae simul adsunt.

Psalm. XXXI, 11: Me prae aegritudine et gemitu vita *deficit* et aetas; mihi *carpuntur* in hoc supplicio vires et membra *consenescunt*. Com. 12: Omnibus inimicis ostentui *sum* et maxime vicinis; abhorrent mei familiares; qui me foris vident, *recedunt*. Com. 13: Animi oblivioni *traditus* sum, perinde ac mortuus; *sum* quasi vas perditum. Com. 14: Nam a multis *audio* contumelias. Cf. Psalm. XXII, 13—17.

Psalm. XXXVIII, 3: tua tela *infixa* sunt; tua me *urget* manus. Com. 5: Nam mea delicta meum *supergressa* sunt *caput*, me quasi onus grave opprimunt. Com. 6: vomicae meae *foetent*, *putridae* sunt. Com. 7: *adfligor* et *deprimor* vehementer; adsidue pullatus *incedo*. Cf. Psalm. XXXIX, 3. XL, 13.

Psalm. LXXIV, 4: Conqueritur auctor ruinas templi ita: *Perstrepunt* tui perduelles; *ponunt* sua signa ut signa. Com. 7: *iniiciunt* ignem in sacrarium tuum; *polluunt* tui nominis tabernaculum; *cogitant* secum ea omnia evertere; *cremant* omnes curias Dei, quae sunt in terra; signa nostra non *videmus*.

Psalm. LXXIX, 1: *Adgrediuntur* gentes tuum patrimonium; *polluunt* tuum sacrum fanum; *redigunt* Hierosolyma in ruinas. Com. 2: Cadavera servorum tuorum *obiiciunt* volueribus. Com. 3: *effundunt* eorum sanguinis undas. Com. 4: *Sumus* vicinis nostris dedecori.

Jesai. XI, 1: *Exsistit* surculus ex caudice Isaei. Qui surculus, *qualis* ipse sit, et *qualis* status rerum eo tempore, ita describitur: In eo *residet* spiri-

tus Iovae. Com. 4: terrarum tenues iuste *iudicat*, inopesque terrarum *corrigit* ex aequo. Com. 5: *est* pro laterum cinctu iustitia. Com. 6: *versatur* cum agno lupus. Com. 8: *ludit* super aspidis foramen lactens infans, superque viperae cavernam delliculus puer manum agit. Com. 9: terra (omnino) *plena* est cognitionis Iovae. — Ac ratio verborum illorum, quae in hac parte capitibus *Futuro* sunt expressa, infra clucebit.

- D. Postremo fit, ut, coniunctis duobus enuntiatis, Perfecto aut Futuro alterius adiungatur in altero Perfectum, quamquam res affertur plane diversa, quae ad *priorem* nullo modo ita possit referri, ut aut vim aut rationem eius explicet. Sed *Perfecti* vis non mutatur. Nam posterior res non sequitur priorem, neque ex ea pendet, sed cum ea simul adest eodem spatio temporis comprehensa, ita ut utraque res ad *unum quoddam* pertineat. Quod cum in partes solvatur, quarum vis ac natura diversa est, fit, ut hae inter se conferantur, et altera res alteri opponatur. Quo in genere Hebraei ea ratione verba collocandi utuntur, ut in posteriori enuntiato Substantivum, quod opponitur priori Substantivo, antecedit Verbo suo.

Genes. I, 5: Auctor, postquam narravit, lucem esse secretam a tenebris, adicit: Et nominavit (ויקרא) Deus lucem diem, tenebras autem noctem *nominavit* (קרא). Lux et tenebrae ad primum diem simul pertinent. Iam diversa eorum nomina inter se conferuntur, et opponuntur.

Genes. III, 3: Fructibus arborum, quae in hoc horto sunt, nobis licet vesci. Sed *de arbore vitae dixit* (Perf.) Deus: ne vescamini.

Ib. 16: Postquam Iova serpentem exsecratus est, mulierem quoque et virum, qui in eadem noxa erant, increpuit. Com. 16: et ad mulierem *dixit*. Com. 17: et *Adamo* dixit. Cf. II, 20. XX, 16. XXIV, 46, 53. XXV, 6. Deut. III, 14, 15, 16. Jos. I, 12.

Genes. IV, 2: Eva peperit duos filios; et factus est Abel pastor ovium; Cainus autem *factus est* (Perf.) agricola. Cf. c. 4: et obtulit Cainus sacrificium de frugibus terrae; et Abel quoque *obtulit* (Perf.) de pecorum suorum primigenis. Et respexit Iova Abelem et eius munus, sed Cainum non *respexit* (Perf.).

Genes. IV, 22: Lamech duas habuit uxores, Adam et Zillam. Ada peperit (fut.) Iabelem, et Zilla quoque *peperit* (Perf.) Tubalcainum. Cf. c. 26. X, 21, 25. XIX, 37. coll. c. 36.

- Genes. VI, 7: Dixit Iova, se genus hominum exstincturum esse. Com. 8: Sed Noachus *invenit* gratiam.
- Genes. VII, 11: hoc die proruperunt oceani fontes, et meatus coeli *reclusi* sunt.
- Genes. VIII, 5: Arca in monte Ararat substitit; aquarum autem decrementum fiebat usque ad mensem decimum.
- Genes. XII, 16: Sara in domum Pharaonis est accessita; sed Abramum eius caussa beneficiis est *prosecutus*.
- Genes. XIII, 2: Abramus et Lot in loca meridiem versus sita profecti sunt. Abramus opulentissimus erat —; com. 5: et Loto quoque *erant* oves et armenta.
- Genes. XIV, 10: Cecidit rex Sodomae et Gomorrhae, sed reliqui in montes *fugiebant*.
- Genes. XV, 10: cetera dissecuit media; et partes singulas singulis ex adverso opposuit, sed *aves* non dissecuit.
- Genes. XIX, 11: De Loto et de Sodomitis sermo est. Lotum angeli in domum introduxerunt ostio clauso; sed *viros percusserunt caecitate*.
- Ib. 23: Lot venit in urbem, et Iova demisit de coelo sulphur et ignem.
- Genes. XX, 5: Nonne et is (Abrahamus) dixit: Soror mea est, et *ea* quoque (Sara) *dixit*, fratrem eum esse. Cf. XXI, 26.
- Genes. XXV, 34: Esau praerogativem aetatis vendidit; et Iacobus dedit ei panem et edulium ex lentibus confectum.
- Josu. III, 16: Aqua *superne defluens* restitit, in cumulum adsurgens longissime; — *inferior* in salsum planitie lacum *dilapsa exhaustaque* est; *populus* autem contra Hierichuntem traiecit. Jos. VIII, 23: et regem *ceperunt* vivum.
- Josu. X, 13: tum restitit *sol*, et *luna stetit*.
- 1 Samuel. I, 21: Vir adscendit, ut sacrificia institueret, sed *Hanna* non adscendit. Cf. IV, 1, 11. V, 1.
- Jesai. II, 11: Deprimentur *hominum* superbi oculi, et humana deturbabitur altitudo; sed *Iova* solus *extolletur* eo die.

Jesai. IX, 12: *Iovae ira non est sedata; populus autem non redit ad eum, qui ipsum caedit.*

Ad hoc genus verborum relativorum referri etiam potest ea ratio, quae in sermone latino et nostro Plusquamperfecti forma significatur. Atque Hebraei Perfecto utuntur, sine ulla ambiguitate sermonis. Nam si res quaedam, ab eo spatio praeterito, de quo quis loquitur, plane separanda, ad superius tempus pertinet, velut si *caussa* exponitur rei praeteritae, in promptu est, praedicatum ad idem tempus esse referendum. Conferas Josu. IV, 14: et timebant eum, ut Mosem *timebant* נִיָּי. — Nam Moses cum illo tempore iam mortuus esset, eius timorem non ad illud, sed ad superius tempus pertinere, necessario mente informamus. Et Genes. XXVIII, 11: et venit in hunc locum, et pernoctavit; nam sol occiderat, נִיָּי. Quibus verbis *caussa* exponitur, cur Iacobus pernoctaverit; quamobrem nemo est, quin hanc *caussam* rei ad superius quoddam spatium animo referat, etiamsi id certa quadam forma verbi non declaretur.

Sed sufficiant haec de vi atque usu Perfecti. Nam quanquam superest, ut de Perfecto dicamus enuntiatorum relativorum, quae non per se sunt spectanda, sed cum aliis sententiis coniungenda, tamen, quoniam hoc in genere multa sunt exponenda de ipsa natura horum enuntiatorum, et de consuetudine quadam sermonis hebraici propria, velut de usu verbi finiti et Infinitivi, totam hanc rem, quae ad id, quod proposuimus, minus pertinet, hoc libello praetereundam esse existimavi.

De Futuro.

Perfecto ut analytica ratione eae partes exponuntur, quae in re ipsa certis temporibus revera insunt, et cum ea adsunt, denique eae, quibus propria vis et natura rei continetur, ita Futuro, synthetica ratione eae partes significantur, quae ex re *pendent*, eam *sequuntur*, eaque *efficiuntur* temporibus, quae incerta sunt, et in cogitatione posita. Quam ob rem fit, ut subiecto nihil aliud attribuatur, nisi vis quaedam, qua aliquid possit fieri, si rerum quaedam ferat condicio, ut vis illa possit exprimi. Quae vis cum inesse possit in rebus futuris, praesentibus, praeteritis, in re universa, mirum

non est, Futurum hebraicum ad omnia temporum genera pertinere, quae incerta sunt et cogitatione finguntur. Nam vel ex subiecto ipso, vel e certis vocabulis, quibus temporis spatia significantur, cognosci posse rationem temporis, de quo sermo sit, iam supra commemoravimus. Atque in illustranda vi Futuri eam viam tenebimus, quam in vi Perfecti explicanda secuti sumus, ut primum de Futuro dicamus, quod per se spectatum ad subiectum solum pertinet, deinde de Futuro, quod ad aliud verbum relatam cum eo ad subiectum pertinet.

I. De Futuro absoluto.

A. 1) De universa re si sermo est, Futuro exponitur, quod ea re effici *potest* vel *solet* data occasione.

Proverb. XXIX, 23: Superbia hominis *deprimit* eum תִּשְׁפִּילֵנּוּ; sed qui humilis animi est, *consequitur* יִתְמַךְ gloriam. Quo in loco si auctor Perfecto usus esset, indicasset, superbiam effici eo, quod homo deprimitur. Sed videmus hoc loco illud significari, quod superbia adferri potest vel solet variis temporibus et rerum condicionibus.

Proverb. X, 12: odium *excitat* תַּעֲרֵר rixas (i. e. si occasio est opportuna); omnia peccata (i. e. si quando peccatur), *tegit* תִּכְסֶה caritas. Cf. VI, 34: zelus est iracundia viri, neque *parcit* יִחְמוּל die vindictae.

Proverb. X, 27: Iovae reverentia *auget* תוֹסִיף dies; anni vero improborum *abbreviantur* (fut.), id est: pietate efficitur, ut vita sit longa; vel: pietatem sequitur vitae longae fructus; impietate praematura mors adfertur.

Proverb. XI, 3: sua probos iustitia *ducit* (fut.); (i. e. si quando in pericula incidant, incolumes emergunt; quod iustitia efficitur.) Cf. c. 6: suo probos iustitia *servat* (fut.), i. e. si quando in laqueos incidant; ex quibus ut se expedire possint, efficax est iustitia.

Proverb. XI, 4: Non *prodest* (fut.) opulentia die irae; (i. e. non inest in opulentia ea vis, qua homo a periculo et a morte possit liberari,) sed iustitia morte *eximit*.

Proverb. XI, 5: iustitia integrorum viam planam *reddit* (fut.); i. e. iustitia efficit, ut instituta succedant. Cf. XIII, 6: iustitia integros vitae *tuetur*, impietas *pervertit* improbos.

Proverb. XII, 25: sollicitudo *deprimit* hominis animum, sed verbum bonum eum *exhilarat*.

Ecclesiast. VII, 12: sapientia vitam *conservat* ei, qui eam habet. Cf. ib. com. 19: sapientem *confirmat* sapientia.

Proverb. XXIX, 22: iracundus homo dissidium *excitat*.

Proverb. X, 1: filius sapiens patrem *exhilarat*.

Proverb. X, 4: strenua manus *ditat*. Cf. XII, 24.

Proverb. X, 21: iusti labra multos *pascunt*; insipientes per vecordiam *moriuntur*.

Ib. c. 31: os iusti *progerminat* sapientiam, sed lingua perversa loquens *extirpatur*.

Proverb. XI, 9: ore profanus *perdit* alios; iusti autem scientia *eruantur*.

Ib. 16: mulier venestra *consequitur* honorem; viri strenui *consequuntur* opes.

Proverb. XII, 2: Vir bonus Iovae benevolentiam sibi *comparat*, sed flagitiosum hominem *condemnat*.

Psal. I, 4: impii similes sunt paleae, quam ventus *agitat*.

Psal. XXXIII, 17: fallax est equus ad defensionem; multitudine roboris *non eripit*.

Psal. CIV, 15: vinum animum hominis laetum *reddit*; panis hominem *sustentat*. Cf. Ecclesiast. X, 19.

A. 2) Significatur etiam Futuro *exitus* rei universae, quis esse soleat.

Psal. LXXIII, 18: sensi, quis esset *exitus* malorum; enimvero tu eos in lubrico *collocas* תַּשְׁתֵּן.

Proverb. V, 22: impius ipse suis criminibus *capitur*, et suorum peccatorum restibus *implicatur*.

Proverb. VI, 33: adulter plagas et ignominiam *reportat*, probrumque eius non *deletur*.

Proverb. X, 7: nomen impiorum *foetet*; i. e. memoriam eorum detestantur posteri.

Ib. com. 24: quod horret impius, id ei *accidit*; iusti quod optant, iis *datur*.

- Ib. com. 28: iniustorum spes *perit*. Cf. XI, 7. XIII, 9. Psalm. XXXVII, 2: mali gramine citius *succiduntur*, et ut herba viridis *marcescunt*. Cf. Psalm. XLIX, 11, 13. CIII, 15.
- Proverb. XI, 5: iniustus per improbitatem suam *cadit*. Cf. com. 6.
- Proverb. XI, 25: liberalis animi homo *pinguescit*.
- Ib. com. 28: qui suis divitiis confidit, *cadit*; ceu virens contra folium iusti *florent*. Cf. Psalm. XCII, 13: iustus *floret*, ut palma; ut cedrus Libani *crescit*.
- Ib. com. 29: qui domum suam conturbat, ventum *habet* pro hereditate.
- Ib. com. 31: iusto in terra *rependitur*.
- Proverb. XII, 3: non *est stabilis* homo in impietate.
- ib. com. 8: pro intelligentiae suae ratione *laudatur* vir, sed perversae mentis homo *contemnitur*.
- Ib. com. 11: qui suum arvom colit, *saturatur* pane. Cf. com. 14.
- Proverb. XX, 20: Qui patri et matri maledicit, eius lucerna *extinguitur*.
- Psalm. XXXIII, 16: vir fortis non *servatur* magnitudine roboris.
- B. De singulis rebus et temporibus, quae omnino in cogitatione posita, ad quamlibet condicionem, sive praesentem, sive praeteritam, sive futuram animo possunt referri:
- Proverb. VIII, 15: per me (sapientiam) reges (i. e. quoscunque animo et cogitatione finxeris) *regnant* יְמַלְכוּ, et gubernatores iusta *decernunt* יְחֻקְקוּ.
- Ib. com. 17: ego *amo* אֶהֱבֵב, quicunque me amant.
- Proverb. X, 8: si cui cor sapit, is *admittit* יִקַּח praecepta; cui vero labra desipiunt, is *vapulat*, יִלְבַּט.
- Proverb. XI, 10: proborum felicitate *laetatur* civitas. Cf. com. 11.
- Ib. com. 14: ubi desunt consilia, *corrui*t populus. Cf. Psalm. X, 2: ubi superbit impius, *aestuat* pauper.
- Ecclesiast. IX, 18: unum peccatum multum boni *perdit*.
- Ib. X, 18: manuum inertia *stillat* domus.

Psalm. XXXVI, 1 — 3: universa natura hominum malorum describitur; qua in re auctor Perfecto utitur. Sed com. 4: dicit: Malus in lecto (i. e. si quando lecto incumbit, quod, quando fiat, animo et cogitatione fingas) nequitiam *excogitat*; qua in re utitur Futuro, יתשב.

Psalm. I, 3: arbor ad aquae rivos sata *suo tempore fructus fert*, יתן.

Psalm. IX, 10: est Iova praesidium tenuibus, praesidium *temporibus adversis*. Cf. XLI, 2: beatus, qui egentium habet rationem; eum adverso tempore *liberat Iova*.

Psalm. XVIII, 26: tu te benignis (i. e. quicumque sunt, et quocumque tempore beneficentia utuntur) benignum — *praebes*. Nam et inopes homines *defendis*, et superbiorum supercilia *deprimis*; tu mihi lucem *accendis*, Iova Deus, meas tenebras lumine *disiicis*. Per te cuneos *perrumpo*, per Deum meum *transilio muros*.

Psalm. XXV, 15: Iova *educit pedes meos e laqueis*, i. e. si quando laqueis impediti sunt.

Psalm. XXXVII, 21: impius, si quando mutuatur, non *reddit*. Ps. XLI, 7.

Psalm. XLIX, 18: ne timeas, si quis dives sit, — nam in morte non *aufert* quicquam, neque *sequitur* deorsum eum gloria.

Proverb. VI, 30: non *spernunt* furem, *cum furatus est*, ut appetitui *satisfaceret*, cum *esuriret*. Com. 31: *deprehensus reddit septuplum*, *solvit* vel omnes domus suae opes.

Proverb. X, 3: *esurire non sinit* Iova iustum, i. e. si quando in egestate et inopia versatur.

Proverb. XIII, 5: verbum mendax *odit* iustus, (i. e. si quando mendacium audit); impius putidum se et turpem *praebet*.

Job. XXXIX, 7: onager strepitum (si quando strepitus est) exactoris non *audit*.

De singulis rebus praeteritis vel praesentibus vel futuris quid constituendum sit, ex his facile potest colligi. Significat enim Futurum incertam quandam rerum conditionem, qua aliquid fieri possit vel soleat; quam rem cum grammatici nostri attigerint,

exemplis eam illustrare non opus est. — Sed, quae sit in enuntiatis relativis ratio Futuri, ob easdem causas, quas supra commemoravimus, hoc libello non explicabimus.

II. De Futuro relativo.

Si Perfecto aut Futuro adiungitur Futurum, ratio disserendi est synthetica, et oratio *procedit*, i. e. res nova adfertur, quae ex altera *pendet*, eam *sequitur*, et ab ea spatio temporis est segreganda. Quam ob rem fit, ut in enarrandis rebus gestis Hebraei Futuro cursum et ordinem rerum significant; ita quidem, ut Futuro simplici et Futuro c. Vav convers. utantur. Atque illi quidem locus datur, si res ita sunt connexae et aptae, ut posterior res, in ipsa vi ac natura prioris rei posita, eam, nulla alia causa interposita, consequatur. Quam ob rem harum rerum nexum plerumque interpretari possis verbo: consequens est, vel particulis: igitur, unde, etc. Postremo Futurum hoc simplex, quo oratio procedit, ad omnia temporum genera, et ad rem universam, futuram, praesentem, et ad *praeteritam* potest referri. Cuius rei utriusque exempla proferamus.

A. a) Psalm. I, 2: pius Iovae lege delectatur, et dies noctesque *cogitat* יִקְרָאֵם de ea; id est: delectatione, qua animus pii hominis tenetur, incitatur, ut de lege Iovae dies noctesque cogitet; eaque cogitatio consequens est delectationi.

Ib. com. 4: cum impii similes sint paleae, quam ventus agitat, hanc ob rem non *consistunt* in iudicio.

Psalm. XXV, 8: bonus et aequus est Iova, itaque peccatores viam *docet*.

Psalm. II, 3: gentes et reges tumultum excitant contra Iovam et eum, qui ab eo unctus est. Sed deus, qui in coelo sedet, *ridet*, dominus eos ludibrio *habet*; i. e. gentes et reges vana meditantés, tumultu nihil aliud efficiunt, nisi ut Deus rideat. Cf. Psalm. XXXVII, 13.

Psalm. IV, 4: Iova pium sibi secrevit; quam ob rem fit, ut Deus meam vocem *exaudiat*.

Psalm. V, 5: Tu non es Deus, cui probetur improbitas; quamobrem fieri non potest, ut malus homo tibi *sit* familiaris.

Psalm. VI, 7: fessus sum; quamobrem gemendo lectum meum totas noctes *madefacio*; cubile lacrimis *humecto*.

Psalm. XV, 4: (pius) qui improbos despectui habet; unde consequitur, ut eos honoret, qui Iovam reverentur; iurat cum suo incommodo; sed eo non movetur, ut quod iuravit, *revocet*.

Psalm. XVIII, 3: Deus est rupes et arx mea, liberator meus; (quamobrem) eo *confido*. Cf. Psalm. XXIII, 1.

Psalm. XXXVII, 15: impii gladios stringunt, ut trucident eos, qui recte vivunt. Sed gladius ipsorum eos *penetrat*, eorum arcus *franguntur*, i. e. ipsi sua impietate sibi perniciem parant.

Psalm. XXXVIII, 5: mea delicta supergressa sunt caput meum; itaque fit, ut quasi grande onus me *opprimant*.

Psalm. XLVI, 7: Iova vocem edit, et terra *colliquescit*.

Psalm. XCII, 7: Cogitationes tuae sunt profundae; stultus eas non *cognoscit*.

Jesai. I, 23: principes tui donorum cupidi sunt, et mercedibus inhiantes; pupillis ius non *dicunt*, (i. e. cum cupidi sint donorum, fit, ut ius non dicant), viduarum causas non *admittunt*.

Jesai. II, 4: eudunt ex ensibus vomeres, et ex lancibus falces; ex qua re consequitur, ut neque gentes aliae aliis arma *inferant*, neque bellum *discant*.

Jesai. II, 8: terra repleta est divinis, et *adorant*, (i. e. incitantur igitur, ut adorent) opera, quae digiti fecerunt.

b) De Futuro, quod ad rem praeteritam refertur:

Psalm. XVIII, 7: in angustiis meis *invocabam* (fut.) Deum, *implorabam* (fut.); (i. e. angustiae me coegerunt, ut deum invocarem); *exaudivit* (fut.) vocem meam de suo templo; querimonia ad eius aures *pervenit* (fut.), i. e. Deus precibus meis commotus est, ut me ex angustiis liberaret; nulla alia causa interposita.

Ib. 17: ad Iovae minas — aperti sunt terrarum gurgites, et fundamenta patefacta mundi. Ille desuper me *recepit* (fut.), me *extraxit* (fut.) ex multis aquis, me *eripuit*. — Sententia est: Tonitru illi terribili facto hostes dissipati sunt, et ego in libertatem vindicatus.

Ib. 23: eius iura habui proposita, neque eius statuta *reieci* (fut.). Cf. com. 36, 37, 38, 39, 40 — 46.

Psalm. XXXIX, 4: *incalescebat cor meum; cogitatione ardebat (fut.) ignis.*

Psalm. XLIV, 10: *tu nos repulsos ignominia affecisti, neque cum nostris copiis egressus es. Com. 11: nos hostibus terga vertere coegisti. Com. 12: nos pro ovibus comedendis habuisti. — Ps. L, 20.*

Psalm. LXXVI, 6: *convertit mare in siccum; flumen traiecerunt pedibus.*

Psalm. LXXI, 20: *Deus magna fecit; qui, quum multa mihi exhibuisses tristitia et adversa, reconciliatus vitam servaveris, ex ima tellure me extraeris, sqq.*

Psalm. LXXX, 7: *tu potum lacrimarum nobis dedisti; tu nos finitimis certamen exposuisti, et hostes ridebant.*

Exod. XV, 1: *tum cecinit Moses cum Israelitis; id est: rebus a Deo praeclare gestis, animo ita sunt commoti, ut laudibus eum celebrarent.*

- c) Sed fit etiam, ut duobus enuntiatis coniunctis, in posteriori, quanquam de re sermo est plane diversa, quae ex vi et natura prioris rei minime pendeat, tamen Futuro simplici locus detur. Quod si est, utroque enuntiato diversae partes unius et eiusdem rei universae, quo ordine altera pars alteram sit secuta, enarrantur et inter se conferuntur. Itaque, quanquam posterior res ad prioris rei vim non pertinet, utraque tamen coniuncta ad rei universae cuiusdam vim et naturam pertinet, cui subiecta est. Atque in eo genere hac verba collocandi ratione utuntur Hebraei, ut in posteriori enuntiato, substantivum, quod cum priori substantivo confertur, antecedit verbo suo.

Psalm. XVIII, 5: *Auctor Psalmi cursum miseri sui status ita describit: Iora mortis me circumcingebant (Perf.); torrentes Beliali me turbabant. Posteriorius verbum Futuro est notatum, quia oratio procedit; nam nova res adfertur, quae in priori non inest, neque eodem temporis spatio comprehensa cum ea adest, sed eam sequitur. Futuro autem simplici significatur, has res communiter referendas esse ad eundem statum miserum.*

Ib. com. 9: *cursus tempestatis describitur: fimum naribus exhalabat (Perf.); ardentem ignem naribus eiacularat (fut.). Com. 14: tum Iova intonabat, cumque fragore grandinem et igneos egit (fut.) carbones.*

Psalm. V, 6: *tibi non probatur impietas, neque malus tibi est familiaris; insani eius oculis non obversantur (fut.).*

Psalm. XXVI, 4: non ago cum hominibus malis; cum fraudulentis non *versor* (fut.).

Psalm. XXXVIII, 12: vires me deficient, adeo ut ne oculos quidem, nedum lumen habeam. Amici necessariique mei a meo vulnere *absistunt*.

Psalm. XLVI, 10: detruncat (Perf.) hastas, currus igne *cremat*.

Psalm. L, 19: os tuum laxas ad malum, lingua fraudes *conflas* (fut.). Cf. LXXIII, 9. — Psalm. LXXXIV, 7. XCI, 12. CVI, 18.

Jesai. XI, 3: delectatur metu Jovae; unde consequitur, ut neque ex oculorum aspectu *iudicet*, neque ex aurium auditu *corrigat*. Com. 6: *versatur* (Perf.) cum agno lupus; *accubatque* (fut.) pardas haedo. Com. 7: vacca ursusque *compascuntur*, *concupantibus* eorum pullis, et leo more boum *palea vescitur*. — Hoc capite felix rerum status describitur, quem genus Judaeorum, excidio hostilis exercitus facto, manet. Ac partes illae, quibus felicitas continetur, Perfectis sunt significatae, velut initio com. 6. Sed sequuntur in hoc commate et in septimo Futura, primum, quia oratio omnino procedit, et auctor, natura lupi explicata, transit ad naturam aliorum animalium describendam. Deinde utitur Futuro simplici, quia, quod de omnibus illis animalibus dixit, communi quodam comprehensum ad universam illam felicitatem explicandam pertinet. Atque ratio verba collocandi ea est, ut com. 6, quo Perfecto primum usus est auctor, Verbum antecedit subiecto, deinde autem Substantiva, quae cum priori Substantivo conferuntur, Verbo antecedant.

- B. Si res non ita inter se sunt connexae et aptae, ut posterior res ex vi et natura prioris rei pendeat, vel cum ea ad universam quandam rem describendam pertineat, Futuro c. Vav. conversiv. utuntur Hebraei. Quo in genere simpliciter vicissitudines temporum et rerum, quarum ordo *continuus* est, exponuntur. Atque hoc Futurum pari ratione ad rem universam, ad tempus praesens, praeteritum, et futurum referri posse, ex iis, quae de vi ac natura Futuri protulimus, facile est ad intelligendum.

Job. XIV, 2: homo ceu flos exoritur (Perf.) et *carpitur* וַיִּמָּל, ac velut umbra *fugit* וַיִּבָּרַח, neque *durat* יַעֲמִד. — Quibus verbis simpliciter *continuus* ordo vicissitudinum enarratur, quas homines in vita subeunt. Atque,

quod dixit Jobus, florem carpi, id non eo adfertur, quod flos exortus est, i. e. altera res non pendet e vi atque natura alterius, sed e commutabili rerum ratione et casu, quo cuivis rei, temporum decursu confectae, alia res succedat. Itaque sententia loci est: primum oritur flos, deinde (temporum decursu quodam) carpitur, tum fugit.

Proverb. XI, 8: iustus ex periculo liberatur; *tum succedit ei* (סכר) stultus; i. e. hic est ordo rerum et temporum, ut, postquam iustus creptus est ex angustiis, in eas incidat iniustus.

Proverb. XI, 2: venit superbia, venit etiam ignominia; i. e. homo, qui primum superbus est, postremo ignominia afficitur.

Psalm. XXIX, 9: Iovae sonitus frangit cedros, et *perfringit* Iova cedros Libani, et efficit, ut vitulorum ritu *subsiliant*. Cf. com. 9.

Proverb. XXII, 12: Iova suis oculis scientiam tuetur, idemque *pervertit* verba perfidorum.

Job. III, 24: meum cibum meus antevertit gemitus, et *mea fluunt* undatim suspiria.

Job. IV, 5: res nunc ad te venit, et tu *succumbis*; tangit te, et tu *perturbaris*.

Psalm. XXIX, 10: Deus manet in nimbis, et *manebit* in posterum.

Jesai. IX, 11: a fronte Syri, a tergo Palaestini, et Israelitas toto ore *devorabunt*.

De rebus praeteritis, quoniam res est notissima, non opus est, exempla proferre.

- C. Verum, si rerum ordo non est continuus, sed posterior res interiectis quibusdam temporibus et rebus succedat, atque a priori re separanda est, hanc rationem rerum significare solent Hebraei formula: וַיֵּשֶׁב, *et factum est*; ita quidem, ut nusquam hoc verbum proxime cum altero verbo coniungatur, sed ab eo, interpositis quibusdam vocabulis, separetur, velut: et factum est post illos dies; sub hoc tempus; sub diem certum; vel: et factum est, sicut, simulac, cum, dum, postquam. Itaque verbo וַיֵּשֶׁב addito, omnino significasse videntur, cursum quendam secutum esse rerum, ex quo, incerto quodam tempore et incerta rerum condicione, casu nova res evenit. Velut: Genes. XXII, 1: et post illas res *factum est*, (i. e. cursus quidam

rerum et casus tulit, ut tempore quodam Deus Abrahamum tentaret. Cf. XXI, 22: erat *sub hoc tempore*, ut diceret Abimelech; i. e. non continuo post res priores, sed incerto quodam tempore, et incertis caussis commotus dixit; itaque casu accidit. Cf. Genes. XXIV, 22, 30, 52. XXIX, 10. XXX, 25. XXXV, 21. XXXVIII, 1, 27. XL, 1. — Genes. XXIX, 23: et factum est *vesperi*. Genes. XXXIV, 25: et factum est die tertio.

Quod si est, equidem non puto, verbum הָיָה vel הָיָהָה ad explicandam rationem Futuri illius conversi, de quo supra diximus, adhibendum esse. Ac de illa quidem forma, mirum sane videatur, si illis libris, in quibus forma הָיָה usitata est, ad Futuri illam rationem conformandam verbum הָיָה adhibitum sit. Sed verbi הָיָה certo illo usu, quem modo commemoravi, prohibemur omnino, quominus fut. convers. e compendio quodam huius verbi ortum existimemus. Primum enim nusquam Hebraei dixerunt: et erat, ut diceret, sed: et erat (interiecto quodam tempore), ut diceret; deinde, si verum est, Futuro convers. ordinem continuum significari, quomodo in hoc Futuro inesse possit verbum הָיָה, quo cursum rerum interceptum significari cognovimus? Sed, quoniam omnino hoc verbum a grammaticis assumitur, ut explicetur ratio, qua vis Futuri in Perfectum commutari potuerit, equidem quaero, quid, si sola vi Vav conversivi Futurum in Praeteritum convertatur, de iis locis statuendum sit, in quibus Futuro simplici usi sunt Hebraei ad rem praeteritam significandam? Quid de iis locis, in quibus Fut. convers. ad rem universam, vel praesentem, vel futuram pertinet? Quid, quod in Futuro, cui particula negandi adiecta est, etiamsi de re praeterita sit sermo, punctatio illa Vav conversivi non inest, nec in particula negandi, nec in verbo ipso, sed simpliciter dicitur, וְלֹא, velut: Psalm. XLIV, 10: Tu nos repulisti (Perf.), ignominia adfecisti (fut. conv.) neque cum copiis nostris egressus es: וְלֹא-תֵצֵא. — Praeterea forma וַיְהִי, in qua etiam inest Vav. conversivum, si pari modo explicanda est, ac forma ceterorum verborum, molestissima sane efficitur repetitio eius verbi. Quis enim unquam existimet, Hebraeos dixisse: et factum est, ut fieret, ut Deus Abrahamum tentaret. — Deinde, si vera sunt, quae de vi universa Futuri supra protuli, omnibus illis locis, in quibus de re sermo est, quae aliam insequitur, Perfecto verbi הָיָה locus dari non potest, sed Futuro ipsi. Quod si est, quomodo punctatio Vav convers. explicetur? Postremo, Hebraei, verbo illo ea ratione utentes, quam supra posui, saepe id coniungunt cum altero verbo particula copulativa, velut: et

erat post illud tempus, ut (ו) diceret; saepe etiam particula copulativa non utuntur. Atque differentiam rei explicare, cum non sit huius loci et libelli, illud tamen quaerendum est, cur in Futuro conv. grammatici particulae copulativae post verbum וְהָיָה omnino nullum locum dare voluerint? Iam vero his rebus perpensis, equidem non puto, Hebraeos, ut vim Futuri illius conversi, quae a Futuro simplici esset separanda, singulari quadam forma distinguerent, verbi וְהָיָה compendio usos esse. Sed punctatio illa, quomodo sit explicanda, equidem nunc quidem pronuntiare non audeo.

Sed sufficiant haec de Futuro. Ac de Participio quidem, vim universam eius supra, pag. 5, significavi. Verum, cum multa sint exponenda de discrimine Participii et enuntiatorum relativorum, quoniam horum vim omnino non attigi, etiam hanc partem hoc libello omittendam esse existimavi.

C O R R I G E N D A :

- Pag. 1. lin. 11. pro: distinguenda, lege: distinguendae.
 Pag. 8. lin. 5. lege: Proverb. XXII, 9.
 Pag. 10. lin. 4. infer. deletur: Psalm. XCVI, 5.
 Pag. 12. lin. 6. lege: Psalm. LIV, 5.
 Pag. 13. lin. 4. lege: Psalm. XIX, 5.
 Ib. lin. 5. lege: Psalm. LXXXIV, 4.
 Ib. lin. 8. inf. lege: Deut. IV, 1, 23; VI, 18; VIII, 1.
 Ib. lin. 3. inf. pro: Deut., lege: Levit. XXVI, 16.
 Ib. lin. 2. inf. lege: Psalm. XXXVII, 5, 6.
 Pag. 15. lin. 6. pro: Josu. VI, 20, lege: VI, 18.
 Ib. lin. 8. inf. lege: Exod. XIV, 20.
 Pag. 24. lin. 14. inf. lege: וְהָיָה.

II. Schulschrichten.

A. Chronik des Gymnasiums.

Die immer mehr zunehmende Frequenz der Töcherschule erregte in dem ihr als Inspector vorstehenden Herrn Professor Staats den Wunsch, sich dieser Anstalt, deren Leitung allein die Kräfte eines Mannes in Anspruch nimmt, ganz zu widmen. Dieser Wunsch wurde demselben mit dem Anfang des am 27. April 1835 beginnenden Schuljahres von dem Hochlöblichen Magistrate gewährt. Es wurden ihm seit dieser Zeit auch die wenigen, von ihm noch am Magdalensäum ertheilten Unterrichtsstunden abgenommen, und er ging seitdem als Inspector und Professor zur Töcherschule über, nachdem er dem Gymnasium seit dem December 1805 mit treuem Eifer und mit günstigem Erfolge seine besten Kräfte gewidmet hatte. Der schon seit mehreren Jahren an dem Magdalensäum beschäftigte Schulamts-Candidat Herr Müller übernahm ausser den vier schon von ihm ertheilten Stunden noch 8 St. derjenigen Lehrer, welche seit Ostern in den von Herrn Professor Staats gelehrten Gegenständen unterrichten.

Ebenso wurde von dem Hochlöblichen Magistrate unter dem 7. Mai dem Herrn Professor Nösselt, welchem seine Gesundheitsumstände Schonung nothwendig machen, verstattet, sich wöchentlich in vier Stunden durch Herrn Müller vertreten zu lassen.

Ausserdem haben folgende Mitglieder des Königlichen pädagogischen Seminars an dem Magdalensäum unterrichtet: Herr Dr. Lachmann wöchentlich 4 St., Herr Dr. Schneider seit Michaeli wöchentlich 2 St., Herr Cambly wöchentlich 2 St. im August und September.

Endlich hat der Schulamts-Candidat, Herr Robert Julius Reichardt aus Breslau zu Michaeli sein Probejahr an dem Gymnasium angetreten. In den ersten Monaten unterrichtete er die schwächsten Quintaner in einem besondern Locale wöchentlich 8 St. in der lateinischen Sprache. Als aber Herr College Frief im December 1835 so schwer erkrankte, dass er bis jetzt den Unterricht noch nicht hat wieder beginnen können, übernahm Herr Reichardt die ganze Classe; seit-

dem hat er wöchentlich 11 St. unterrichtend die Vertretung des Herrn Frief sehr erleichtert, und sich dadurch die Anstalt zum Danke verpflichtet. Sonst sind längere Vertretungen für Herrn Professor Nösselt, Herrn Zeichenlehrer Herrmann und Herrn Dr. Lachmann nöthig gewesen, welche zu verschiedenen Zeiten erkrankt waren, oder zur Stärkung ihrer Gesundheit ein Bad besuchten.

Mit grossem Dank für die wohlwollende Liberalität des Hochlöblichen Magistrates ist folgende Umänderung in den Classenlocalen zu erwähnen. Es ist in dem Frühjahr 1835 die in vier Stuben vertheilte Gemäldegalerie zu ihrem Vortheile in zwei Stuben aufgestellt worden. Von den so gewonnenen Zimmern wurde das grössere für Prima, das kleinere zum physikalischen Cabinette eingerichtet. Die bisherige Prima wurde der Hörsaal für Secunda, in die bisherige Secunda zog die Untertertia; die bisherige Untertertia endlich ist als Zeichensaal eingerichtet worden, zu welchem Behuf sie schon früher gedient hatte, während bis zu den Hundstagen 1835 der Zeichenunterricht in dem im Winter nicht zu erheizenden grossen Saale gegeben worden war.

Mit noch grösserem Danke ist eine sehr wesentliche Vervollständigung des Unterrichts zu erwähnen. Während der griechischen Stunden hatten bisher die diese Sprache nicht erlernenden Schüler der mittlern Classen das Gymnasium verlassen, um sich unterdess zu Hause anderweitig zu beschäftigen. Dieser grosse Uebelstand ist auf Anregung und Bevorwortung des für das Magdalenum in jeder Art sorglich bedachten Curatoriums durch den Hochlöblichen Magistrat so abgestellt worden, dass seit Michaelis 1835 diese Schüler der Secunda und beiden Tertia, deren Zahl über 30 ist, während der griech. Stunden in einem besondern, freilich sehr beschränkten Locale andern Unterricht empfangen. Da sie sämmtlich nicht studiren, so schien es am passendsten, ihnen in 2 St. Chemie, in 2 St. Physik vortragen zu lassen; diesen Unterricht hat Herr College Sadebeck übernommen; in 2 St. endlich übt Herr Candidat Müller dieselben in Anfertigung von Geschäftsaufsätzen aller Art. Der Erfolg dieses Unterrichts hat, da der Vortrag der Chemie und Physik durch vielfältige Experimente unterstützt wird, so sehr allen Erwartungen entsprochen, dass wir uns um so mehr veranlasst sehen, der vorgesetzten hohen Behörde diese Erweiterung als eine grosse Verbesserung zu danken. Möchte es möglich sein, ein passenderes Auditorium in dem freilich sehr verbauten Hintergebäude des Gymnasiums einzurichten, da gerade für Chemie und Physik ein besonders heller und nicht gar zu beschränkter Raum fast unerlässlich ist!

